s Canonicum).

ertr.: Quaestio iuridica de iure immunitatis ecclesiasticae, sive contributionibus spiritualium.

QVÆSTIO IVRIDICA,

DE

Iure Immunitatis Ecclesiasticæ,

SIVE

Contributionibus Spiritualium,

Ex Cap. Aduersus. De Immunitate Ecclesiarum. ext. Iuncta Nouella. De Statutis & consuetudinibus, contra liber. Eccl. editis. § Item nulla, coll. 0.

Quam in publicum examen
ritu Solenni

A Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

ADAMO ROSCZEWICZ,
I. V. D & Professore Ecclesiæ Cathedr. Cracou. Canonico SS. Omn. Archidiacono, & ad S. Nicolaum Præposito,

Vnà cum Clarissimo ac Admodum Reuerendo Domino,

STANISLAO OSSĘDOWSKI,
S. Th. & I. V. D. ac Ordinario Profess. eiusdemque Facultatis Decano, Protonotario Apostolico, SS. Omnium Custode,

In Doctorem Iuris Vtriusque

In eadem Ecclesia SS. Omnium Crac. Collegiata

renunciandus.

M. ALBERTVS ŁANCVCKI,
I. V. Licentiatus & Professor, ad Ædes SS. Omnium Cancellarius, S. Michaelis in Arce Canonicus.

(Superiorum Permissu)

Anno à Christo nato, 1658. Octobr. 29. Hora 8.

exponit.

CRACOVIÆ, Apud Ioannem Paulum Cezary, Illustriss. Episc. Crac. Typogr.

VObis quoque notum facimus, de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, Nathinæis, & Miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. *1. Eſdræ cap. 7.*

HAbere non poteſt. Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. *D. Cyprianus, de ſimplicitate Presbyterorum.*

V. Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ, non obstante immunitate Ecclesiastica, quâ à muneribus Ciuilibus iure Diuino, ne dum humano immunes sunt, propter casum insolitum, vt bellum, vel armigeros prouinciã vastantes, quando sæcularium non sufficiunt facultates, aut spontè contribuere; aut per Principes sæculares ad contribuendum compelli; non consulto prius Papa, nec obtenta ab eodem expressa licentia, citra incursum pænarum Iure Canonico definitarum possint, nec ne?

CONCLVSIO I.

IMmunitas Ecclesiastica, est à muneribus Ciuilibus, quæ personis, rebus, vel locis imponuntur, munitio, seu libertas.

COROLLARIA.

I. *Statutum sæcularium, contra omnes incolas, de muneribus personalibus; patrimonialibus; aut mixtis; Spirituales personas non comprehendit.*

II. *Nomine populi, non veniunt Ecclesiastici in grauaminosis; in fauorabilibus contrà.*

III. *Duæ sunt in terris potestates diuersæ, Spiritualis & Sæcularis; & harum neutra debet esse alteri ad destructionem, sed ad ædificationem.*

IV. *Inter res Diuinas, publicas, & priuatas discrimen est; ac inter Diuina & humana ministeria.*

V. *Magnus debetur illi loco honos, qui solenniter est ab Episcopo pro Diuino ministerio deputatus, ac cõsecratus.*

VI. *Clerici clericaliter viuentes honorandi sunt, non autem angariandi.*

VII. *Nullus Ecclesiasticus priuilegio suo;* aut cap. *Si diligenti*, ext. de foro compet. aut can. *Si quis suadente* 17. q. 4. aut c. Odoardus ext. de solut. *renũciare potest.*

CONCLVSIO II.

ECclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ, ab oneribus, & muneribus Ciuilibus, iure Diuino, nedum humano, immunes sunt.

COROLLARIA.

I. *Cassa & irrita sunt, omnium Principum statuta, & consuetudines, contra libertatem Ecclesiæ; debentque ex volumine eradi statutorum.*

II. *Reus est criminis læsæ Maiestatis Diuinæ, qui in Ecclesia violentiam aliquam, tàm sine damno, quàm cum damno Ecclesiæ, perpetrat; tum qui fugientes ad Ecclesiam, sine authoritate Episcopi, aut Officialis, in casibus non exceptis, ex Ecclesia extrahit.*

III. *Infandum scelus Ecclesiam in habitaculum Sæcularium conuertere, aut incastellare; quid verò subuertere? ni ingruente guerra magna, salus publica aliud vrgeat vehementer.*

IV. *Digna vox Friderico II. Imperatore: Nulla communitas, vel persona publica, aut priuata, collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias; Ecclesiis vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere; aut inuadere Ecclesiastica bona præsumat. Quodsi fecerit triplum refundat, & nihilominus banno Imperiali subiaceat, quod absq; satisfactione debita nullatenus remittatur.* Nouel. de Statut. & consuet. cont. libert. Eccles. §. Item nulla, coll. 10.

V. *Dignum viridi obseruantiâ Vladislai Pij Ducis Poloniæ de Anno 1228. (nec non maiore pretio apud*

milites) priuilegium. Cupientes grauamina Ecclesiasticarum personarũ hactenus inolita relaxare: Ecclesiæ Dei, liberalitèr & libentèr confero Canonicam libertatẽ; liberans eã, ab omnibus grauaminibus, & exactionibus, &c.

VI. *Faciunt in animæ suæ perniciem, qui ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis, pro rebus quas non negotiandi causa deferunt, vel transmitti faciunt, pedagia aut guidagia, suo vel alterius nomine, exigunt.*

VII. *Milites & personæ publicæ Sæculares, non possunt sibi vendicare ius hospitij in domibus Clericorum. nec valet in contrarium consuetudo.*

CONCLVSIO III.

Ecclesijs, & Clericis, non licet de patrimonio Christi, sponte etiam contribuere, propter insolitum casum, quando sæcularium facultates sufficiunt, ad releuandas communes necessitates; alioquin incurreretur excommunicatio.

COROLLARIA.

I. *Prælati, & Rectores Ecclesiæ, non habent rerum Ecclesiasticarum dominium, sed duntaxat gubernium, & administrationem.*

II. *Consensus Rectoris Ecclesiæ super fundo, aut decimis,*

cimis, in præiudiciũ successoris, debitũ non sortitur effectũ.

III. *Beneficiatus, potest licitè rem Ecclesiasticam, quam malè alienauit vindicare, non obstante iuramento de non rescindendo contractu.*

IV. *Quidquid ex peculio Ecclesiæ emptum est, ad Ecclesiam redire debet, etiamsi id fuerit non intuitu Ecclesiæ emptum.*

V. *Pæna pecuniaria Ecclesiasticorum, in pios vsus, non verò prophanos conuerti debet.*

VI. *Immunitas non datur ad tempus, sicut nec matrimonium, aut hæreditas, vel libertas.*

VII. *Lex canonisari digna: Ea quæ ad Ecclesiã peruenerunt, conuenit inuiolabiliter custodiri, vt sicut ipsa religionis & fidei mater ac magistra est perpetua, ita patrimonium eius seruetur iugiter illæsum.* L. Iubemus C. de Sacr. Eccles.

CONCLVSIO IV.

ECclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ, non obstãte immunitate Ecclesiastica, possunt propter casũ insolitũ, si vident sæculariũ non sufficere facultates, contribuere charitatiuum subsidium; modò collectam ipsi spontè deliberent, & non ad coactionem sæculariũ; consulto tamen Papa, & habita ab eo expressa licentia, nisi fortè periculum esset in mora.

COROLLARIA.

I. *Necessitate suadente omnia priuilegia franguntur, cum salus Reipub. non habeat legem.*

II. *Sub tempus guerræ aut obsidionis, quando impẽdet periculũ æquè Spiritualibus & Sæcularibus, non excusãtur Ecclesiastici à custodia murorũ, cũ Ciuibus mixtim, quo ita cũctis vigilantibus melius valeat ciuitas custodiri.*

III. *Necessitas dum extrema vrget, & est periculũ aut scandalum non leue in mora, potest actus sine solennitate de iure requisita explicari.*

IV. *In dubiis & arduis, omnes Clerici, præcipuè oppressi, ad Romanam Ecclesiam, tanquam ad magistram, & matrem recurrere debent, vt ab ea instruantur, nutriantur, releuentur.*

V. *Solus Papa, totum per Orbem, in beneficiis & rebus Ecclesiasticis habet plenitudinem potestatis; Cardinales, Legati, Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, in partem nonnisi sollicitudinis vocati sunt.*

VI. *Metropolitanus, monere non verò cogere potest Suffraganeos suæ Prouinciæ ad contribuendum. Sed & Episcopus in tangentibus totum Clerum, opus est habeat totius Cleri, non solius Capituli, assensum.*

VII. *Statuta Conciliorum, pro exigentia temporũ, vel in toto vel in parte mutare, aut relaxare, Supremi in Ecclesia Principis potestas est.*

CON-

CONCLVSIO V.

PRincipes Sæculares, non possunt, propter casum insolitum, quantumuis suæ, & suorum subditorum, non sufficiant facultates, Ecclesias, & Ecclesiasticos, non habita expressa licentia Papæ, compellere ad contribuendum.

COROLLARIA.

I. *Constitutiones Sæcularium damnosæ Ecclesiis, aut Clero; non merentur dici constitutiones, sed iustitiæ destructiones: ni expressim per Ecclesiam approbentur.*

II. *Imperatorum & Regum Statuta, posthabenda sunt Constitutionibus Ecclesiasticis, in causis animam & Ecclesiam concernentibus.*

III. *In iure immunitatis Ciuilis, allegare potest.* L. Nihil tam naturale ff. de reg. iur. *non in immunitate Ecclesiastica, Status Politicus.*

IV. *Deputata certo vsui publico, largitione fidelium, non debent in alios vsus conuerti, excepta Papæ authoritate.*

V. *Alienatio bonorum Ecclesiæ immobilium, quin & mobilium magni valoris, sine solennitatibus, ac in casu, à iure non permisso, est de Papæ reseruatis. Idem Iuris in exactionibus à Clero,*

VI. *Bona Ecclesiæ, num obnoxia sint tributis? si antequam peruenerunt ad Ecclesiam, fisco fuerant allibrata, certoq́ onere & inuariabili authoritate publicâ, vel pacto priuatorum, onerata; & nec amortisationem à Principe habent; nec emancipationem; nec sunt Ecclesiæ mansus; non est in casu insolito problema. at secus in oneribus per solidum & libram superinductis.*

VII. *Non debent caperare frontem Laici, dum relegunt illud in Tholossano. Scio certò, maiorem tributorum & exactionum partem, in Ecclesiam, & Ecclesiasticos factam, non tàm necessitate, quàm inuidiâ populi; qui cum inter Diuinum & humanum non nouit, aut non vult constituere differentiam; modulo suo Dei opes & ei inseruientes vult metiri.* Tholos. lib. 3. de Rep. c. 8. n. 24.

CONCLVSIO VI.

IMponentes collectas Ecclesijs, aut Clericis, non habita licentia Summi Pontificis expressa, regulariter sunt violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & incidunt in Bullam Cænæ Domini.

COROLLARIA.

I. *Nil refert ad incursum Bullæ Cænæ Domini, directè an per obliquum? suo, aut alieno nomine? tallias, collectas, decimas, & alia onera, Ecclesiasticis, Monasteri-*

ſteriiſq́; & aliis piis locis, impoſuerit quiſquã aut exegerit.

II. *Jnuolare in Iurisdictionem Spiritualem, & hanc violare, parificantur: quantum ad incurſum excõmunicationis, nec vlla habetur dignitatis ratio.*

III. *Conſules, Scabini, & quicunque Præſides Ciuitatum, aut Caſtrorum, collectantes Eccleſias, Monaſteria, & alia loca religioſa, non ſeruato tenore cap.* Aduerſus, ext. de imm. Eccl. *finito etiam officio remanent excommunicati.*

IV. *Delinquens prætextu officii, tenetur ſatisfacere etiam finito officio, ſi ad eum, vel ad alium peruenit commoditas, cum nequit eum inducere ad ſatisfaciẽdũ.*

V. *Tacens, cenſetur conſentire, quando vocatus ad conſilium nil dicit, debetquè inſimul puniri, cum conſulentibus malum.*

VI. *Non tantum qui ſupremæ poteſtati Spirituali, at etiam qui inferioribus tàm ordinariis quàm delegatis reſiſtunt, Eccleſiaſticam infringunt immunitatem.*

VII. *Altior eſt ordo Sacerdotalis quam culmen quantumcunque ſublime Politicæ poteſtatis, qui hunc ſuâ ſede detrudit, Deum habet vltorem.*



Sub felicissimis auspicijs,

Clarissimi, & Excellentissimi Viri, Domini

D. M. FRANCISCI
R O L I N S K I,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris,
Consulis Cracouiensis meritissimi,
ac Almæ Vniuersitatis in eadē Vrbe
Studij Generalis

R E C T O R I S

Vigilantissimi.